



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Caput V. De Censu, Cambio, Contractu Societatis, & Testamento.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

Quia ista obligatio emptori imposita, est aliquid pretio æstimabile supra summum justum pretium. 2. Emere Chirographa, id est, debita activa in futurum minoris quam contineant. Quia in hoc committitur usura palatiata, aliquid accipiendo præcisè ratione mutui virtualis.

Quando res est *absoluit vendita*, etsi nondum tradita, nec soluta, emptori perit, eique fructificat, Quia re empta cõempta sunt omnia in ejus virtute contenta. Deinde, licet emptor nec dum sit rei Dominus, ad eum tamen pertinet omne damnus & periculum: unde cum sustineat incommoda, æquum est ut sentiat & commoda. Leges in contrarium, quia favent usuris in solutionis dilatione fundatis, abrogatæ sunt jure Canonico.

Evictio est, rei suæ ab altero possessæ legitima recuperatio: differt à vindicatione & conditione, quod prima sit actio realis, secunda personalis, & hæc evictio sit earum effectus.

Monopolium, seu conspiratio specialis Mercatorum ut soli, aut certo pretio aliquid vendant, graviter repugnat charitati, & justitiæ legali; non justitiæ communitivæ, nisi summo justum pretium excedant. Hoc enim secluso, nulli faciunt injuriam, & ex causa rationabili licitum reddi potest auctoritate Principis. Ita *Perrus Navarra, Molina, Lessius, Contra Covar. Sylvestrum, & Valentiam.*

Locatio rem ad usum pretio concedit, *conductio* accipit. *Locator* tenetur 1. Aperire vitia nociva rei locatæ, & ad damna si ea claverit. 2. De rei evictione. 3. Ad expensâs pro rei conservatione &c. *Conductor* tenetur, 1. Re uti juxta boni viri arbitrium. 2. Pro eâ conservanda eam adhibere curam, quam vir prudens pro suis adhibet. 3. Solvere pensiones tempore suo: uterque sibi invicem obligantur de dolo, culpâ latâ, & levi, non autem regulariter de levissima, aut casu fortuito.

Quando contingit ut *res conducta casu fortuito* absque ulla conductoris culpa reddatur *inutilis*, non tenetur conductorolvere pensionem, nisi pro ratâ temporis quo re illa usus fuit. *Sterilitas* tanta ut colonus nihil recipiat, illum liberat à pensione: si sterilitas sit parva hic non attenditur, si sit magna, dat jus minuendi pro ratâ pensionem. Similiter, si *ubertas* absque ulla coloni industria sit extraordinaria, dat jus augendi pensionem, quæ si sit pecuniaria solvenda est in fine anni, si in fructibus, iis collectis solvi debet. Potest *conductor* ante tempus *expelli*, quando re conducta *abuteretur*, aut per *duos annos* solutionem debitam non præstat.

Si *eadem opera*, labor, aut industria pluribus ex pacto præstita æque singulis est utilis, meretur à singulis integrum stipendium valori suo proportionatum. Quia ut supponitur, pro singulis seorsim susceptæ sunt obligationes ab invicem independentes, unde opera ejus est æquivalenter multiplex in utilitate & valore.

Famulis debetur cum sustentatione stipendium justum saltem infimum. Non licet illis uti occultâ compensatione propter exiguitatem stipendii minoris justo infimo, cum de eo convenisse stipendio supponantur.

Emphyteusis est contractus quo quis rei suæ immobilis Dominium utile transfert in alterum, retento sibi Dominio directo cum jure pensionis realis annuæ. Qui accipit Dominium utile dicitur *Emphyteusa*, qui

dat dicitur Dominus directus seu proprietarius.

Feudum dicitur, concessio rei immobilis sub onere fidelitatis & obsequii personalis exhibendi domino directo. Differt ab *emphyteusi*, quod in hac debeatur pensio realis, in illo fidelitas & obsequium personale. Concedens dicitur Infeudator, Dominus fundi & feudatarii: Accipiens dicitur feudatarius, vasallus, beneficiarius. *Regale* feudum confertur à supremo Principe cum Titulo, v. gr. Ducis; non regale nihil adfert dignitatis: *Ecclesiasticum* ab Ecclesiastico, Laicum à Laico confertur: *hereditarium* transmittitur ad hæredes, gentilitium ad liberos, masculinum ad solos masculos, femineum etiam ad feminas deficientibus masculis: Dicitur *Ligium* si fidelitas juretur contra omnes, non Ligium si excipiat Princeps supremus. Amittitur Feudum expiratione temporis concessi, neglectu obsequiorum, & crimine Folloniæ, id est, belli contra Dominum gesti.

CAPUT V.

De Censu, Cambio, Contractu Societatis, & Testamento.

DE TESTAMENTO &c. agitur plenè infra Tomi II. Tract. V. Cap. 13. Hæc suppleantur ea quæ possint in singulis desiderari.

CENSUS est jus percipiendi pensionem annuam ex re, aut persona alterius: qui illud jus pendit dicitur Censuarius, qui emit dicitur Censualista.

Dividitur Census, 1. In *reservativum*, quo quis in alterum transfert rei suæ dominium, super eadem re sibi reservato jure pensionis annuæ: & in *consignativum* quo solum jus pensionis consignatur. 2. In *realem*, *personalem*, & *mixtum*. 3. In *pecuniarium*, & *fructuarium*, hic in Belgio & in Castella sublatum est à Philippo II. ob nimium incrementum tritici & aliorum fructuum. 4. In *perpetuum*, & *temporalem*: Perpetuus subdividitur in *irredimibilem*, & *redimibilem*, vel ab uno tantum, vel utroque contrahente. Temporalis alius est ad tempus certum, alius ad incertum v. gr. qui usque ad mortem censuaria constituitur & durat.

Licita est *emptio novi Censu consignativi, realis*, & *perpetui* tam redimibilis ex parte venditoris, quam irredimibilis. Patet 1. Ex approbatione Pontificum Martini V. Pii V. & Calixti III. 2. Ex eo quod sit vera emptio facta iusto pretio juris veri præexistentis in Censuario, non quidem sub ratione Censu, sed ut inclusi in pleno jure, quod habet Censuarius in rem suam, & omnia ejus emolumenta. Ita *Covar. Molina, Lugo*, aliisque communissimè, contra paucos.

In *emptione Censu* non datur pecunia præfens pro pecunia in futurum, ut in mutuo, sed emitur jus non ad certò recipiendam summam simul & semel sine periculo damni & molestiarum, sed ad pensiones successivas per longa intervalla, adeoque moraliter non sine periculo, incertitudine, & molestiis recipiendas, ideoque usuram non involvit.

Et quamvis hoc jus sit ad pensiones in *infinitum*, non tamen æstimatur nisi pretio finito, sicut Dominium fundi frugiferi, quod continet jus ad annuos fructus in infinitum. Ratio est, quod pensiones successivè in infinitum recipiendæ non augeant valorem illius juris incremento æquali, sed proportionali in infinitum

isole
kin

theo-
logia

P. IV
P. 5

in infinitum decrefcente. Quia quanto magis crefcunt in multitudine, tanto funt in fpe remotiori, & confequenter tanto magis decrefcent in æftimatione morali, adeoque non poffunt facere jus valoris infiniti, licet partes proportionales in infinitum decrefcentes continuum actu infinitum conftituere nequeunt.

Dices, idem elle emere jus ad penfiones, ac emere ipfas penfiones.

Resp. Difparitatem elle, quod jus ad rem, non nifi poft longa intervalla adæquatè recipiendam, non fit ipfa res, nec prudenti iudicio tanti æftimetur, propter lapfum & incertitudinem diuturni temporis & alia fuperius affignata.

Emptio Cenfus personalis etiam perpetui eft licita. Pater 1. Ex ufu Belgii, Germaniæ, Galliæ à DD. Theologia & Juris approbato; & à Nicolao V. Pont. 2. Ex eo quod etiam hic interveniat vera emptio juris percipiendi penfiones ex perfona alterius ratione fuæ induftriæ, & aliarum qualitarum quæ cenfentur fufficienter frugiferæ ad fundandum tale jus iufto pretio æftimabile, cum iftud jus poffit donari, & à donatario iuftè vendi. 3. Quia tale jus poteft fundari fuper jumentum & fervum, adeoque etiam fuper perfonam liberam, quod tamen jus vendi non poteft ob defectum penfionum; quia hoc leges vetant. Dum Martinus V. alique Pontifices folùm approbant cenfum realem, per hoc perfonalem non improbant, quem Pius V. prohibuit non abfolutè, fed ob fpeciem & periculum ufuræ, & quidem prohibitione quæ hic & in Germania recepta non cenfetur. Ita *Gabriel, Medina, Bannez, Valencia, Lefsius*, Contra *Navarrum, Rebellum, Lugo, &c.*

Cenfus temporalis incerti temporis, ut *vitalitius*, eft licitus, modò ematur pretio iufto, per legem, aut prudentis arbitrium taxato. Quia cum uterque contrahens parem fubeat aleam plurium, aut pauciorum penfionum, pro pluribus aut paucioribus annis vitæ, in eo fervatur æqualitas.

Licitus etiam eft cenfus *Temporalis certi temporis* v. gr. ad 20. aut 30. annos; Quia cum jus ad penfiones per longa intervalla recipiendas non tantum valeat, quantum cumulus omnium penfionum fimul, iuftè emi poteft minori pretio quàm valeant penfiones fimul fumptæ: fi tamen emeretur ad breve tempus, ut ad 2. vel 3. annos, ufura palliata cenferetur uti colligitur ex fundamentis fuprà affignatis.

Cenfus redimibilis tam ex parte ementis, quàm vendentis, fic ut emens poft aliquot annorum penfiones poffit vendentem cogere ad redimendum, videtur fpeculativè loquendo, licitus. Quia non apparet cur non poffit fieri pactum retrovenditionis in hac emptione fic in emptione aliarum rerum, & quare hoc pactum fieri non poffit cum cenfuario in contractu cenfuali, fic in contractu cenfuali cum uno tertio, & cum illo poft initum cenfualem contractum: Non eft tamen in praxi tutus, aut licitus. Quia eft meritò fufpectus de ufura palliata, ac proinde fcandalo obnoxius. Cenfus *irredimibilis* ex parte venditoris, faltem conftituti, funt quidem à Carolo Quinto in Belgio prohibiti, non tamen ufurarii, nifi ex præfumptione fori externi, & ne bona maneant perpetuè onerata. Ita de his *Gabriel, Medina, Valencia, Lefsius, Malderus*, Contra *Covar. Sotum, Aragonium &c.*

CAMBIUM eft permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecunia. Ille à quo cambium petitur, dicitur Cam-

pfor, qui petit, *Campfarius*. Dividitur in *Reale*, & *Locale*; hoc cambium ficcum eft vera ufura folam fpeciem cambii habens, ut fi tantum habeatur ratio diftantie temporalis &c. Illud autem *Reale* eft legitima permutatio pecuniæ fervata æqualitate inter datum & acceptum. Dividitur in *Manuale* feu minutum, quod eft permutatio pecuniæ præfentis pro præfente, & *Locale*, quod eft permutatio pecuniæ præfentis pro abfente.

Cambium minutum eft reale, & dicitur illud quod confiftit maximè in monetæ minutæ cum majori commutatione.

Licitum eft lucrum ex *cambio minuto* variis titulis, fcilicet, ratione lucri ceffantis, officii cambiendi, generis quærendi & habendi pecunias diverfi generis ad utilitatem communitatis femper paratas, easque numerandi &c. Taxatur à Principe *valor monetæ* quatenus eft menfura rerum venalium, non quatenus eft commoda ad permutationem negotiatoriam, fub qua ratione una fpecies monetæ alteri fæpè multum præftat, licet fit æqualis in ratione pretii rei venalis. Ita *paffim Theologi, Contra Oſienſem, & paucos alios.*

Lucrum ex cambio Locali, quo campfor hic petat accipit ut alibi reftituat, eft licitum, modò fit prudenti peritorum iudicio iuftum. 1. Quia eft approbatum à Pio V. apud *Navarrum num. 300.* 2. Quia accipitur iufto Titulo virtualis fcilicet translationis, & locationis, qua campfor operam fuam locat campfario ad transferendum ejus pecuniam fufcepto in omni periculo: quod fi hoc fiat abſque omni ejus incommodo, hoc tribuendum eft ejus induftriæ & bonæ fortunæ, qua non obftante poteft lucrum accipere, ratione periculi, & laboris in fe fufcepti.

Cambium quod Francofurtense dicitur, in quo campfor dat prior pecuniam campfario, ut ab eo eadem recipiat in nundinis Francofurtensibus cum cârario proportionato diftantie temporalis, & localis, feclufis Titulis extrinſecis, periculi fortis &c. iuſtum & ufurarium elle cenfetur. Quia in eo nulla intervenit virtualis translatio, aut locatio operæ ad translationem, ac proinde campfor nullam campfario navat operam pretio æftimabilem: unde cârarium accipit præciſè propter diftantiam temporalem inter dationem fuæ pecuniæ & ejus in æquivalentem receptionem, quod eft ufurarium. Ita, ut dixi, feclufis Titulis extrinſecis, docet *Cajetan. Sotus, Suarez, Valencia, Malderus, Lugo, alique communius, Contra Molinam, Lefsius, Filiuc. Layman, &c.*

Cambium Bezantinum, five Placentinum, eft quo campfor respondentem Bezuntii vel alibi campfario procurat, fuum fcil. factorem, qui tunc duas perfonas repræſentat, nempe respondentis campfari, & factoris campforis, & quatenus respondens campfarii debitum ex accepta à campfore pecunia ſibi ipſi, quatenus factori campforis, ſolvit ſolutione virtuali, nempe per acceptationem & relationem in libros rationum, &c. Hoc, inquam, Cambium, licet uſtatatum cenfetur plerumque ficcum, & non ſubſiſtens: Quia cum contrahentes ſciant totam ſolutionem ſic fieri iſtis cambii & recambii Titulis artificioſè quaſitis, aliud intendere non cenfentur, quàm lucrum ex mutuo, Cambii ſpecie palliatum, ac proinde in praxi à Theologis plerumque omnino reſciciendum cenfetur, ut de ufura merito ſuſpectum &c. Et ita ſentit *Sotus, Molina, Tannerus, Roder. Rebellus, &c.*

aliis communibus, quamvis illud excuset Sylvester, Navarrus, Salas, Diana, &c.

SOCIETAS NEGOTIATORIA, est conventio conferentium aliquid ad commune lucrum, & damnum. Ut sit licita requiritur, 1. Ut fundetur in negotiatione honesta, 2. Ut servetur aequalitas proportionalis lucrorum & damnorum pro rata eorum, quae conferuntur, 3. Ut fors fiat omnium, nisi lucri tantum sit communio, ex pacto instituta.

Dissolvitur illa Societas, 1. Socii renuntiatione, 2. Ejus morte, aut egestate, 3. Elapso tempore, ad quod inita fuerat, 4. Cessante negotiatione.

Quando unus de sociis confert solam pecuniam, & alter solam operam, potest fieri communio fortis & lucri, 1. Sic ut in fine ex aequo dividatur pro rata pecuniae ab uno, & assimationis operae ab altero collatae, 2. Sic ut conferens solam operam non sit particeps fortis, sed solum aliquotae partis lucri, ejus spes aequivaleat operae ab ipso posita: hoc enim utroque modo servatur aequalitas utrimque requisita.

CONTRACTUS TRIPLEX, est quo conferens in Societatem à locio assecuratur de sorte integrâ cum certo lucro, sed minore eo, quod ex negotiatione speratur. Unde in eo sunt virtualiter tres contractus, scilicet Societatis, assecurationis, & venditionis majoris lucri sperati. Hunc contractum esse licitum sudent, 1. Leges, & institutiones ei aperte faventes. 2. Haec ratio: est certò contractus ille triplex licitus si fiat divisim cum diversis; adeoque etiam cum eodem simul & semel; cum per hoc nullam contrahat injuriam, nec mutet naturam, adeoque non transeat ad rationem mutui. Ita Sylvester, Gabriel, Major, Navarrus uterque, Toletus, Lessius, Sylvester, Abulensis, &c.

Objectiones contra contractum Triplicem ex sequentibus solvuntur. **Dominium pecuniae** in ejusmodi contractu in Societatem depositae non est penes solum negotiatorem, cum non possit de illa, sicut de mutuo accepta, pro suo arbitrio disponere, sed teneatur eam vel aequivalentem suo & deponentis nomine negotiationi applicare. Huic quidem soli perit, at non ratione dominii ut mutui formalis aut virtualis in ipsum translati, sed vi contractus assecurationis adjuncti. Hoc contrahendi modo pecuniam conferens non sentit lucrum, nullum potens sentire incommodum, quod non esset aequum, quandoquidem patiatur damnum majoris lucri quod sperare potuit.

Secundò, Bulla Sixti Pontificis hunc contractum non prohibet ut illicitum jure naturae, sed tantum ut scandalosum ex praesumptione usurae palliatæ, quae non intervenit si contractus in eo inclusi fiant serio, verè, & non fictè, unde in Germania, & Belgio, illa non habetur à pluribus pro recepta.

SPONSIO, quâ certantes de alicujus rei eventu sibi invicem aliquid spondent, dandum ei qui veritatem fuerit assecutus, est licita, si absit fraus, par sit utrimque periculum, nec sit de re turpi &c. **Sortes** ex quarum eventu aliqua decernuntur, aliae sunt **divisoriae** quibus de re communi disponitur, aliae **electoriae** quibus alii aliis praefertuntur in ordine ad officia vel secularia, quae licent, vel Ecclesiastica, quae sunt prohibita. **Consultoriae** & divinatoriae sunt superstitiosae.

TESTAMENTA privilegiata quoad solemnitatem sunt, 1. Militum in castris. 2. Facta coram Principe. *R. P. Arjdek. Tom. II.*

cipe. 3. Belgica juxta consuetudines variis locis usitatas. 4. Ad pias causas, quae deficiente solemnitate obligant in conscientia, modo adsint jure naturae requisita ad translationem Domini; ad profanas etiam causas valent in conscientia, sed validitate infirma per judicem rescindibili, non firma & irrefcindibili; quo sensu exponenda & inter se concilianda sunt Leges ac juris utriusque DD. in speciem pugnantibus in his de testamentis privilegiatis.

Testari prohibentur jure naturae amentes: positivo jure partim Civili, partim Canonico, impuberes, surdi simul & muti, prodigi, damnati ad mortem, carcerem perpetuum, aut exilium, haeretici, servi, filii familias, & usurarii manifesti, &c. Testamentum de se **revocari** potest à testatore validè & licitè, 1. Per factum contrarium, ut si testator illud laceret, 2. Per alterum Testamentum legitimum. *Ita habent juriurisdictiones.*

Per Testamentum **Haereditas instauri** possunt, qui non sunt lege prohibiti, ut sunt haeretici, spurii, id est, orti ex parentibus inter quos tempore vel conceptionis, vel nativitatis erat aliquod impedimentum dirimens, non legitimum, etiam deficiente prole legitima, non succedunt illi parentibus ab intestato, neque ex Testamento, nec ullam partem hereditatis accipere possunt etiam in conscientia: secus naturales, id est, orti ex parentibus sic non impeditis; illi enim possunt à Patre instauri haereditas si deficiant legitimi, & ascendentes; quamvis ei non succedant ab intestato, nisi ex sextante, succedunt tamen matri, tum ex Testamento, tum ab intestato pari jure cum legitimis; de quibus fufius juxta leges Belgicas Lessius de jure & just. Zyepus, aliique.

Reliqua de **TESTAMENTO** in hoc Opere traduntur infra *Tomo II. Part. II. Tract. V. cap. 13.*

CODICILLUS, est sequela, & velut supplementum Testamenti. **Legatum** est donatio in Testamento praestanda ab haerede. Factum absolute legatum debetur statim à morte testatoris: Factum sub conditione debetur ea impleta. **Fidei commissum** est, quod alteri ita relinquitur, ut illud non possit alienare.

Non potest haeres ita legatis gravari ut haereditas reddatur **inutilis**, alioqui potest detrahere Falcidiam, id est, quartam partem hereditatis ex legatis detrahibilem, aut Trebellianicam, id est, quartam partem ex Fidei commissis detrahibilem, ut haeres habeat saltem quartam partem bonorum defuncti.

Si Legatum aut Fidei commissum sit ad **pias causas**, nec Falcidia, nec Trebellianica detrahi potest. Sola Parochia aut Confessarii depositio de ultimâ voluntate defuncti ad pias causas haereditatem obligat in conscientia, dum constat de horum probitate. *Ita Layman hic, aliique.*

CAPUT VI.

De Restitutione, ejus Radice, Causis eam excusantibus, &c.

DE Restitutione in ordine ad Praxim agitur accuratè in hujus Operis Tomo. II. Part. III. Tract. V. cap. 14. infra.

Ne quid aliqua ex parte desit in materia tam necessaria, quaedam hic ad omnimodam Theologi institutionem subjiciuntur.

AD

isde
kin

theo
logia

P. II
P. 5